

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Exercitationes theologicae - Ettenheim-Münster 109 - index omnium in
univ. theol. 4 tomis distincta contentarum

Cartier, Gallus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Exercitatio V.

[urn:nbn:de:bsz:31-111021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-111021)

Exercitatio V.

De mediis, in quibus Deus cognoscit creaturas possibili-
biles.

Ad cap. 5. §. 2. n. 179 part. 1. Tractatus I. Tom. II. Theolo-
gia nostra, qui est de Deo Uno et Trino.

Status hujus questionis præcipue in hoc consistit, an Deus solum
in se ipso seu in sua essentia tanquam in medio prius cognito, co-
gnoscat creaturas posibles, an vero etiam immediate in se
ipsis.

§. I.

Quædam nesci parò supponenda expenduntur.

Supp. 1.º contra Averrosem, Deum cognoscere omnes creaturas,
non solum secundum illud esse eminent, quod habent in Deo, sed
etiam secundum suum esse formale, quod habent vel habere
possunt in se ipsis: tum quia alioquin Deus non cognosceret cre-
aturas, sed tantum suam essentiam; illud quippe eminent, quod
habent creatura in Deo est ipsissima essentia divina: tum
quia scientia Dei non est perfectissima, cum se non entende-
ret ad cognoscibile in particulari.

Supp. 2.º Deum cognoscere creaturas posibles in se ipso sicut
in objecto primario; in quo videntur omnes convenire. Et ra-
tio est; quia creatura sunt tantum objectum secundarium di-
vini intellectus, Deus vero primum. Atque qualibet potentia
fertur in objectum secundarium, sub ratione primarii, quod est
illud in primario attingere. Ergo cognoscit Deus creaturas in se ipso
ut objecto primario. **Obtensio** Objectum primum est, cujus
virtute cetera intelliguntur. Atque huiusmodi est essentia divi-
na, quæ est sola ratio motiva divini intellectus. Ergo, p.

Supp. 3.º Deum cognoscere creaturas non solum in se ipso ut objec-
to primario, verum etiam ut medio aut causa prius cognita.
Ratio est; quia non potest aliqua causa comprehendi, nisi co-
gnoscat affectus in ea contentus. Atque Deus est causa conti-
nens eminenter omnes creaturas, et se ipsum comprehendens.
Ergo in se, ut in causa, omnia cognoscit.

Confirm. Unumquodque eo modo cognoscitur in alio, quo in eo
continetur. Atque creatura sunt eminenter in Deo sicut in causa.
Ergo in illa, ut in causa, à Deo cognoscuntur.

Neque dicas, Deum omnia unice ac simplicissimo intuitu co-
gnoscere, ac proinde prius non cognoscere essentiam, tum alia,
quæ sunt ab ea distincta. Nam

Dicimus hoc verum esse, si per prius intelligatur prioritas tem-
poris aut durationis; sed non, si intelligatur prioritas rationis, qua-
tenus scilicet ex parte objectorum, quæ cognoscuntur, unum cognoscitur
à nobis velut ratio, quæ Deus aliud cognoscit, eo quod unum sit Deo
magis conjunctum quam aliud.

* Anselmus | Petrus | verberia
ad oriam fluvium in Bicar-
dia natus ord. ff. Minorum
S. Francisci calaberrimus
suo statim Theologus.
primus Professor in Uni-
versitate Parisiensi,
ubi Doctor famulus ap-
pellatus est; postea
Borinialis in Aquita-
niâ, et denique a 1320,
vel 1321. Archiepisco-
pus Aguenis. Civis
ensepsit an. 1322. vel
1323. Subtilis inge-
nii vir, et novarum
opinionum amans.

P. K. p 179

In Thomae / 2^o 11

. His ita suppositis, modo dispendendum, an Deus creaturas in sua essentia, ut in causa, aut saltem medio prius cognitio ita cognoscat, ut nunquam eas in se ipsis videat: an vero utroque modo cognoscat. Primum tenent Thomista. Alterum Theologi illi, quos recentiores vocant.

88.

§. II.

Proponuntur et solvuntur Argumenta Thomistarum pro prima Sententia.

Argumentum 1^{um} Sumitur ab auctoritate SS. Patrum. S. Dionysius de div. nom. c. 7. sic ait: Deus ea, quae sunt, noscit non rerum notitia, sed sui; non enim secundum visionem singulis se immittit, sed secundum causa continentiam scit omnia. Et infra: Divina Sapientia, inquit, se ipsam cognoscens scit omnia.

S. Ambrosius Tract. de Symb. c. 11. haec eloquitur: Licet omnia locustis, ac terrestria, ac minima quaeque respiciat Deus, nihil tamen extra se ipsum intelligere, sed singula in se intueri dicitur.

S. Augustinus lib. 15. de genes. ad litt. c. 15. haec habet: Deus in se ipso, qui vita est, vidit omnia, quando fecit, et sicut vidit ea, ita fecit, non postea ipsum videns, sed in se ipso.

S. Thomas hic art. 5. seu 1. q. 14. a. 5. expressè ait: Deus se ipsum videt; alia autem à se videt non in ipsis, sed in se ipso. Item lib. 1. cont. gent. c. 67. sic loquitur: Cognitio Dei est de rebus omnibus per causam; se enim cognoscendo, qui est omnium causa, alia quasi per suos effectus cognoscit.

Resp. adversa partis Theologi breviter. Patres his verbis solum velle, à Deo non cognosci res per species ab ipsis emanatas; non tamen negare cognosci à Deo directe in se ipsis.

89.

Argumentum 2^{um} petitur à variis rationibus Theologicis. 1^a Intellectui perfectissimo repugnat duplex modus cognoscendi, quorum unus sit perfectior altero. Atqui Divinus intellectus est perfectissimus. Ergo repugnat ei huiusmodi cognoscendi modus. 2^{us}. Atqui modus cognoscendi creaturas in Divina essentia est longè perfectior, quam cognoscendi eas immediate in se ipsis. Ergo p.

2. 74
Resp. ad. Dist. maj. Intellectui Divino repugnat duplex modus cognoscendi, quorum unus sit perfectior altero ex parte actus, conc. ex parte objecti, neg. maj. Itaque duplex est in Deo creaturarum cognitio, per unam cognoscuntur mediata et indirecte in essentia Divina ut perfecte et comprehensive cognita; et per alteram cognoscuntur directe in se ipsis independenter ab omni medio: prima respicit directe essentiam Divinam, creaturas vero indirecte; secunda vero directe factus in creaturas, et indirecte in ea, quae in creaturis cognitis cognosci possunt. Unde manifestum est, inquit, objectum primae cognitionis esse aliquid melius quam objectum secundae cognitionis; et sic cognitionem primam esse aliquid secundam melius ex parte objecti: at neutra est alteram perfec-

tior ex parte actus; quia neuter modus tendendi in creaturas perfectior est altero: tanta enim virtutis est Deum omnia alia à se distincta cognoscere directè et immediate, quanta illa cognoscere mediatè seu in alio; nam ex utroque arguitur intellectus simpliciter infinitus in ratione intelligentis.

huc

Iust. Si Deus aliqua cognitione cognoscit directè et immediate creaturas, aliqua Dei cognitio specificatur à creaturis. falsum consequens; quia huiusmodi specificatio in Deo importat imperfectionem. Ergo et antecedens.

Resp. Neg. leg. maj. Nam, ut docet S. Thomas *hæc q. 14. a. 5. ad 3.* in tantum objectum aliquod specificat cognitionem sui, in quantum est causa illius, et ad illam vel per se, vel per speciem sui vicariam concurrens cum intellectu, à quo cognoscitur; at creaturae cognitionem illam, quæ à Deo directè et immediate cognoscuntur, nullatenus pariunt, sed pure terminant. Ergo non specificant cognitionem illam, quæ à Deo cognoscuntur directè et immediate in se ipsis.

Ratio 2^a. Ea modo cognoscuntur creatura à Deo, quò supra- 90. sentantur ei, per speciem, quæ intelligit. Atqui non representantur in se et ratione sui ipsarum. Ergo immediate in se ipsis non cognoscuntur. *Maj.* videtur certa; nam cum ex objecto et potentia, mediâ specie, generetur notitia, ut habet axioma, palam fit nihil intelligi posse nisi administrâ specie objectum representantis. *Min.* est adversariorum, qui ultro fatentur, Deum cognoscere creaturas immediate in se ipsis absque eo, quò ab ipsis species emendicat. Ergo, p.

75

Resp. Ad. leg. Suppos. majoris. quòd scilicet Deus creaturas per species intelligat; potest enim, nec implicat dari intellectum se ipso ita completum, quin indigeat concursu speciei ad intelligendum. Ergo huiusmodi intellectus Deo denegari non debet.

Ratio 3^a. Intellectus divinus nullam potest accipere perfectio- 91. nem à creatura. Ergo non potest ei uniri immediate per modum objecti primarii. *Ant.* patet. *Prob. cons.* Inia intellectus quodammodo perficitur ab objecto sibi unito; siquidem ratione illius fit potens proximè ad intelligendum, cum sine illo solùm esset potens quasi remotè. Ergo, p.

Resp. Ad. ad. num. neg. cons. Ad 2^{um} *Dist. ant.* Intellectus perficitur ab objecto, si sit primarium et formale, *con.* si vero tantum sit secundarium et reale, *neg. ant.* quia sic divina cognitio ab eo nihil habere potest nisi terminationem extrinsecam; siquidem cognitio Dei jam plene est constituta et perfecta, seu specificata à suo objecto primario, nempe essentia divina.

Ratio 4^a. Bonitas creata non potest directè et immediate 92. terminari actum voluntatis divini. Ergo nec veritas creata actum intellectus divini.

Resp. ad. Mag. ant. nam voluntas increata duplici virtuali-
ter actu amat, s. g. creaturas possibles uno, scilicet mediata et
indirecte propter bonitatem praesentem sua essentia, cuius
sunt imitationes quaedam ac participationes possibles; altera
autem directe et immediate propter eorum propriam bonitatem
et amabilitatem intrinsecam non repugnantem, atque aptam ad
terminandum actum amoris, quae praesupposita non potest volun-
tas divina non habere actum simplicis complacentiae.

93. Ratio denique 5^a Cognitio possibilium in se ipsis est superva-
cua, et proinde Deo indigna. Ergo, p. Prob. ant. Quia cogni-
tio divina, prout terminatur ad Deum et adabilia in Deo est
cognitio comprehensiva Dei; atque adeo absorbens omnem om-
nino perfectionem in linea cognoscendi. Ergo cognitio im-
mediate terminata adabilia, est supervacua. p.

Resp. ad. In Deo considerari posse tum praedicata absoluta,
ut est bonitas, Assitas, p. tum praedicata respectiva realia,
ut est omnipotentia potius hoc vel illud possibile; tum deni-
que praedicata respectiva intentionalia, ut est Omnisicien-
tia terminata adabilia omni modo possibili, scilicet
tum in se ipsis, tum in se ipsis. Jam in forma Mag. ant.
ad ejus prob. Dist. ant. Est comprehensiva Dei secundum
ejus praedicata absoluta et respectiva realia ad creaturas possi-
biles, cons. secundum respectiva intentionalia, reg. ant. et
cons. Quod autem, inquirunt, hic novus modus cognoscendi im-
portet novam perfectionem, patet, quia cognoscere objectum
immediate de se est bonum appetibile et perfectio.

§. III.

94.

Proponuntur et solvuntur argumenta eorum Theo-
logorum, qui asserunt Deum creaturas imme-
diatè in se ipsis videre p. p. p. p.

Argumentum 1^{um} Non implicat Deum immediate per se
ipsum univ. intellectui creato in ratione speciei intelligibilis ad
visionem et cognitionem claram ipsis Dei. Ergo nec è converso
quod creatura immediate per se ipsam univ. intellectui divi-
no in ratione speciei intelligibilis ad cognitionem ipsis creatura.

Resp. ad. reg. cons. et parit. Disparitas est, quia ex eo, quod
creatura univ. intellectui divino immediate per se ipsam in
ratione speciei, sequitur, quod creatura sit principium divinae
intellektionis, quod divi non potest; bene tamen potest divi,
quod Deus sit principium visionis, quae videtur à Beatis. Un-
de non est paritas. Praeterea sequentur intellectum divinum
perfici à creatura, quod implicat; non autem implicat, quin
imò summe conveniens est, ut intellectus creatura perficiatur
per divinam essentiam.

95.

Argumentum 2^{um} Creatura cognoscuntur à Deo omni
modo, quò sunt cognoscibiles. Atqui sunt cognoscibiles

immediate in se ipsis. Ergo, p. Maj. constat, alioquin virtus Dei cognoscitiva non esset infinita. Min. etiam patet, sic enim creatura à nobis cognoscuntur.

Confirm. Intellectus divinus est prestantior humano. Ergo si intellectus humanus creaturas in se ipsis cognoscere potest, poterit etiam intellectus divinus.

Resp. ad arg. Dicit. maj. cognoscuntur omni modo non dicente imperfectionem, cone. Scius, neg. maj. Vel aliter, cognoscuntur omni modo, quæ sunt cognoscibiles ex parte objecti, cone. ex parte actus, seu cognoscentis, neg. maj. id est, in creatura subest modus cognoscibilitatis, qui Dei cognitioni subtefugiat; at non est neesse, ut Deus omnibus modis illis cognoscat, quibus alii intelligentes illas cognoscere possunt. Potest etiam absolute negari maj. nam ita veritas, v.g. Homo est visibilis, potest cognosci simpliciter intuitu, aut per divinum et cognitione à priori, aut à posteriori et similiter cognitione evidenti, vel confusa, p. et tamen non potest Deus illam cognoscere omnibus modis istis, quia multi ex eis involvant imperfectionem; quæ propter quod Deus hæc ita cognoscat, non oritur ex impotentia divina intellectualitatis, sed ex summa ac infinita ejus perfectione, quæ in suo modo cognoscendi imperfectionem non admittit.

4. 76

Ad Confirm. Resp. eodem modo, neg. cons. Sicut non valet: Homo cognoscit divinendo; ergo multo melius Deus; nam potius ex infinitate divina intellectualitatis inferatur contrarium.

Ex quæ, inquirunt, vit etiam aliud adversariorum argumentum, dum dicunt Angelis et anima Christi competere duplicem creaturarum cognitionem, unam in se ipsis immediate, et alteram in Verbo; ut ergo non etiam in Deo? Nam ratio discriminis in loca ista est, quod Angeli et anima Christi ad duplicem illum cognoscendi modum habeant diversa principia; primo nempe essentiam divinam in ratione speciei intelligibilibus, quæ est principium cognitionis creaturarum in Verbo; Secundo, species infusas, quæ sunt principium cognitionis creaturarum in se ipsis: non sic autem Deus, ut jam dictum est.

Iust. Videre rem in se ipsa est perfectio. Ergo à Deo removeri minime debet.

Resp. Dicit. ant. Est perfectio respectu intellectus, ejus intellectioni non repugnat specificari ac pendere ab objecto creato, cone. cujus intellectioni hujusmodi dependentia repugnat, neg. ant. Vel aliter: Videre rem in se ipsa est perfectio, quæ tamen includat quandam imperfectionem, videlicet dependentiam ab objecto creato, cone. Scius, neg. ant. p. Præterea hujusmodi cognitio ex hoc quandam respectivè imperfectionem involvit, quod non sit perfectissima; tum enim in eâ interveniat sola scientia respectiva, et hæc ignobilior sit scientiâ matutinâ, liquet, quod hic cognoscendi modus creaturarum in se ipsis, non sit perfec-

7
tiffimus, ac propterea à Deo remouendus.

Urg. Res clarius cognoscitur in se ipsa, quam in causa. Ergo huiusmodi cognoscendi modus est perfectissimus.

Resp. Dist. ant. Res clarius cognoscitur in se ipsa, quam in causa secunda, cons. quam in causa prima, quae omnes omnino rei differentias eminentissimo continet modo. neg. ant. et cons.

Urg. Cognitio intuitiva est, quae res cognoscitur in se ipsa. At qui Deus habet cognitionem intuitivam rerum. Ergo p.

Resp. Dist. maj. Quia res cognoscitur in se ipsa in parte cognita, cons. in parte mediæ cognitionis, neg. ant. id est, ut cognitio sit intuitiva, oportet, ut cognoscatur modus, quo res est in se ipsa; non tamen oportet, ut sic immediata res cognoscatur, sed sufficit, quod cognoscatur per medium, in quo representatur.

96. Argumentum 3^{ium} Cognitio, quae Deus cognoscit creaturas, est practica. Ergo terminatur ad ipsas immediate et primario, et non ad divinam essentiam. Ant. est S. Thomas hæc q. 14. art. 8. et ult. Cons. prob. Quia cognitio practica non potest immediate terminari ad divinam essentiam, ut potest quae non habet res operabiles. Ergo p.

577
Confirm. Quia providentia Dei immediate terminatur ad creaturas. Ergo etiam cognitio. Prob. cons. Quia providentia est actus intellectus divini.

Resp. Dist. cons. Terminatur immediate ad creaturas, ut practica est, cons. ut prout cognitio est, neg. cons. quia sic terminatur immediate ad Deum, unde non valet hoc consequentia: Cognitio Dei ut practica terminatur immediate ad creaturam. Ergo cognitio Dei absolute terminatur immediate ad creaturam. quia arguitur à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Et perfectum hoc

M
97. Argumentum 4^{um} Deus amat creaturas immediate in se ipsis. Ergo etiam eodem modo et in se ipsis cognoscit eas. Cons. patet; quia amor sequitur cognitionem. Prob. ant. Quia amat eas secundum esse, quod habent in se ipsis distinctum ab esse Dei, ut docet S. Thomas hæc q. 30. a. 3. ad 3.

Resp. neg. ant. et ad prob. resp. quod licet creatura secundum suum proprium esse, et quod habent in se ipsis extra Deum, sunt obiectum terminativum divini amoris, sicut et divina cognitionis, tamen non terminat illum immediate, sed tantum mediate, mediante licet divina essentia; ejus enim bonitas amata à se est ratio amandi alia extra se, ut docet S. Thomas hæc q. 19. a. 13. ad 4.

Sicut Deus odit aliquas creaturas et quidem immediate. Ergo saltem illas cognoscit immediate. Cons. videtur certa. Ant. vero quoad primam partem multipliciter constat ex S. Scriptura, prosertim Psal. 5. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem. Secunda autem pars probatur ex hoc, quia alioquin proprii deberet suam

essentiam odii habere, sicut enim Deus amat hominem in sua essentia prius amata, sic a pari deberet eum odio habere in sua essentia prius odii habita.

Resp. Deum nihil odio habere neque mediate, neque immediate, sed omnia, quae sunt, amare, ut docet S. Thomas hic q. 20. a. 2. et 1. Cont. Gent. c. 96. cuius ratio est; quia nemini vult malum ut ei malum est, quod requiritur ad rationem odii. In forma igitur, Neg. ant. si sermo sit de odio proprie dicto, quod est contrarium amoris. ad illius prob. dicendum, quod Deus dicitur odio habere peccatorem, non positive, volendo ei malum quia malum, sed tantum negative, quatenus non vult ei supremum bonum beatitudinis; vel quatenus vult punitionem illorum propter bonum sua justitia.

Argumentum 6^{um} Status, quem habent res in se ipsis, diffos. 98. nis est Status, quem habent in Deo; nam in se ipsis sunt defectiva, in Deo autem sine defectu. Ergo nisi Deus etiam res in se ipsis cognoscat, eorum defectus videre non poterit.

Resp. Dist. ant. Est deiformis in modo essendi, con. in modo representandi, neg. ant. Nam representat res secundum eorum defectum per oppositam formam, scilicet per perfectionem; sicut enim tenebrae cognoscuntur per lucem, quia privant, sic Deus dum per suam essentiam intuetur bonitatem ac perfectionem, quae in subiecto esse deberet, hoc ipso videt illius defectus.

Iust. Saltem huiusmodi defectus, sicut et peccata, atque entia rationis non potest cognoscere in sua essentia tanquam in causa, Ergo.

Resp. ut prius, Deum cognoscere mala per bona creata, quibus opponuntur; et quia boni, per quod malum cognoscitur, Deus est causa, sic omnia in se ipsis, ut in causa, cognoscit, non quia mali causa sit, sed quia est causa boni, per quod malum cognoscit. Item dicendum de entibus rationis.

678

Argumentum 6^{um} Deus cognoscit creaturas non secundum illam esse eminentiale, quod habent in essentia divina, sed etiam secundum suum esse formale. Ergo etiam ab eo cognosci debent in se ipsis. ant. patet in 5.1. prob. cons. Creatura in Deo non sunt secundum suum esse formale, alioquin Deus esset, v. g. leo. Ergo si Deus eas cognoscit secundum hoc suum esse formale, palam fit, quod eas extra suam essentiam cognoscere debeat.

Resp. neg. cons. ad eius prob. Dist. ant. Creatura in Deo non sunt secundum suum esse formale, in esse entitativo, con. ant. in esse intelligibili et representativo, neg. ant. et cons. Essentia quippe divina, ut modificata ideis divinis, representat res prout sunt in se ipsis, non aliter ac Artifex sua opera in suis ideis praebet, non quidem in esse entitativo, sed tantum in esse intelligibili.

Declaratur quanam sententia sit alteri profe-
renda.

Quandocumque intellectus cognoscere nequit veritates creatas, quin eas comprehendat; comprehensio autem veritatis creata haberi nequit, nisi omnes illius causa cognoscantur, et quia propria causa veritatis creata est Deus; sic videtur, Deum non posse cognoscere veritates creatas, nisi in se ipso tanquam medio, et causa prius cognita. Id sane videntur docuisse SS: Patres supra laudati; prout de SS: Dionysio et Thoma ultio fateri debent adversus opinionem patrum.

Unde ad responsionem auctoritati eorumdem SS: Patrum adjectam dicimus, eam non habere sufficientem veritatis speciem.

1^o Siquidem SS: Patres ex eo probant Deum non cognoscere creaturas in se ipsis; quia cognoscit eas in se ipso. Ergo non solum docent, Deum non cognoscere creaturas in se ipsis, ex eo, quod non emendicet ab eis species; sed sane ex eo, quod eas cognoscit in sua essentia. 2^o

Hac dicendi ratione nihil speciale Deo tribuerent SS: Patres, quod Angelis convenire nequeat: Angeli quippe non intelligunt per species à rebus emendicatas, cum eas habeant in sua ratione infusas.

Atqui hoc est alienum à mente SS: Patrum, cum eorum intentum sit demonstrare cognitionem creaturarum in intellectu divino longe esse diversam à cognitione intellectus creati. 3^o

Cognosci aliquid cognitione immediata est vere ac proprie cognosci in se ipso. Atqui SS: Patres absolute negant creaturas à Deo cognosci in se ipsis. Ergo etiam negant eas cognosci cognitione ad illas immediate terminata. Et sane cum S: Thomas sit q. 14. a. 5. ex instituto inquirat, an Deus videat creaturas in se ipsis vel in se ipso, non debuerit absolute asserere Deum non videre creaturas in se ipsis; sed oportuisset eum uti quadam limitatione, quemadmodum faciunt adversarii, si veram esse eorum distinctionem agnosceret. Valere S: Thomas in hac questione fuit diminutus, vel certe adversariorum responsio non subsistit.

Et certe clariora sunt huius S: Doctoris verba, quam ut in alienum sensum detorqueri valeant; Deus, inquit, se ipsum videt in se ipso, alia autem à se videt non in ipsis, sed in ipso, in quantum essentia continet similitudinem aliorum ab ipso, id est, in quantum gerit vices speciei aliorum.

Ad responsionem ad primum Argumentum ex ratione peti-
tum dicimus, quod modus cognoscendi creaturas in divina essentia sit longe perfectior quam modus eas cognoscendi in se ipsis non solum ex parte objecti, verum etiam ex parte actus, quod manifestè patet ex S: Augustino lib. 11. de Civitate Dei c. 11. ubi ait: Cognitio creaturae in se ipsa decoloratio est, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, habet in arte, per quam facta est. In quomodo huius S: Doctor cognitionem decolora-

7. 79

tiorum seu minus perfectam non refundit in objectum, sed certe in actum, seu in ipsum modum cognitionis ac tendentia.

Responsio autem data ad Just. sane non est ad mentem S. Thoma; quia ibi docet, quod in tantum objectum aliquod specificet, in quantum est principale intentum, in quo alia cognoscuntur, unde postea infert, non oportere, quod intelligere divinum per aliud, quam per suam essentiam specificatur; ibid. enim in 1^o dicit: Deus alia a se non in se ipsis, sed in se ipsis, seu in sua essentia videt.

Gravesca mens S. Thoma magis declaratur lib. cont. Gent. c. 48. ubi sic loquitur: Operatio intellectualis speciem et nobilitatem habet secundum id, quod est per se primo intellectum, cum hoc sit eius objectum; si igitur Deus aliud a se intelligeret quasi per se et primo intellectum, eius operatio intellectualis speciem et nobilitatem haberet ab alio quam ab ipso: hoc autem est impossibile, cum eius operatio sit eius essentia; et hoc, quippe Ens a se, nequeat ab alio distincto a Deo speciem capere; sic igitur impossibile est, quod intellectum a Deo primo et per se sit aliud ab ipso.

Responsio ad Argumentum 2^{um} dum allata itidem pugnat contra 102. doctrinam ejusdem S. Thoma. Nam ut q. a. 5. in 1^o. Et in Solutione ad 3. docet essentiam divinam esse speciem intelligibilem, qua Deus se ipsum et creaturas cognoscit. Pugnat etiam contra rationem: nam sicut implicat dari voluntatem, que sit volitionis principium, nisi media apprehensione objecti; ita pariter implicat dari intellectum, qui sit intellectus principium, sine consensu objecti contra ipsum constituti, in ratione intelligibilis. Atqui objectum, ut consensus objectivè ad intellectionem, gerit nomen speciei. Ergo implicat, intellectum sine specie esse principium intellectionis.

Contra responsionem ad Argumentum 3^{um} facti 1^o quia quod in se ipsis cognoscitur est immediatum cognitionis objectum. Atqui quod est immediatum cognitionis objectum est per se primo cognitum, et consequenter primum cognitionis objectum. 2^o Vel creatura ut a Deo cognita in se ipsis sunt objectum subordinatum divina essentia, vel non: si primum; ergo non cognoscuntur nisi dependenter ab essentia divina: si secundum; ergo sunt objectum primum, ac proinde ab eis perficitur intellectus divinus.

Responsio data ad Argumentum 4^{um} iterum adversatur 103. menti S. Thoma, qui hic q. 19. a. 2. ad 2. sic dicitur: In his, que volumus propter finem, tota ratio movendi est finis, et hoc est, quod movet voluntatem: Unde cum Deus alia a se non velit, nisi propter finem, qui est sua bonitas, non sequitur, quod aliquid aliud moveat voluntatem suam, nisi bonitas sua, et sic, sicut alia a se intelligit intelligendo essentiam suam, ita alia

à se vult volendo bonitatem suam. Et rursus in Polut. ad 3. in hoc, inquit, quod voluntati divinae sufficit sua bonitas, non sequitur quod nihil aliud vult, nisi ratione sua bonitatis: Sicut etiam intellectus divinus, licet sit perfectus, ex hoc, quod essentiam divinam cognoscit, tamen in ea cognoscit alia.

104. Responsio denique ad Argumentum 5^{um} Data non videtur subsistere; nam ex ea sequitur, quod, cum modus cognoscendi creaturas ~~in se ipsis~~ in se ipsis importat perfectionem; ut habet responsio: etiam divina cognitio ab hoc modo cognoscendi creaturas in se ipsis perfectior reddatur, ac proinde creatura concurrant ad perfectionem divinae cognitionis, quod tamen admittere nolunt Adversarii. Dicendum itaque, quod huiusmodi cognoscendi modus tantum rationem cuiusdam perfectionis in intellectu creato habeat, nunquam autem in intellectu divino. Nam sic conficitur Argumentum: Vel huiusmodi cognitio possibilem in se ipsis spectat ad perfectionem divinae cognitionis, vel non: Si dicatur quod non; ergo est superflua: Si dicatur quod sic; contra est, quia eo ipso, quod cognitio divina comprehendat divinam essentiam, et omnia, quae in ipsa continentur, adequat intrinsecam Dei cognoscibilitatem, atque adeo est cognitio Dei perfectissima; ergo cognitio possibilem in se ipsis nequit conferre ad perfectionem divinae intellectionis.

105.

Exercitatio VI.

De praesentia praeteritorum, praesentium, ac futurorum in aeternitate.
ad §. 5. cap. 3. part. 1. Trait. 1. de Deo Uno et Trino
Tom. 2. Theol. nost.

Quod Deus futura omnia sibi habeat praesentia intensionaliter ab aeterno, quatenus omnia cognoscit simul, quae successivè erunt, non dubitatur; sicut enim potest quis ea altè tunc simul videre homines sibi succedentes; ita potest Deus ex editissima aeternitate sua ea simul prospicere, quae erunt successivè futura in aeternum. Controversant quidam Theologi inter se, an scilicet futura habuerint ab aeterno in aeternitate divina non solum praesentiam intensionalem explicatam, sed etiam realem? In hac controversiam sequentibus §§. usitata hactenus methodo capiemus.

106.

Nonnulla praenuntiantur ad meliorem dicendum notitiam

Advertendum i^o quod aeternitas nihil aliud sit, nisi duratio infinita, indivisibilis, et tota simul; definitur enim à Severino Boetio lib. 5. de consol. philosoph. prosa 6. Interminabilis vita tota simul et perfecta possessio. Dicitur perfectio, id est, duratio firma et stabilis; non vero fluxa instar nostrae. Dicitur etiam tota simul, per quod excluduntur partes et successio, quae in durationibus creatis inveniantur. Dicitur quoque perfecta, ut denotetur purissima illius actualitas; atque omnis imperfectio, quae creatas durationes concomitari solet, removeatur. Dicitur